



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Signis Prædestinationis, Et Reprobationis, Et De Numero Prædestinatorum, Ac Reprobatorum**

**Recupito, Giulio Cesare**

**Lvgdvni, 1681**

Francisco S. R. E. Cardinali Eminentissimo Barberino.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44272**



FRANCISCO  
S. R. E. CARDINALI  
E M I N E N T I S S I M O  
BARBERINO.

**A** V D E O jam quartò, Francisce  
Cardinalis Eminentissime, no-  
men tuum amplissimum opellis  
meis præfigere. De Vesuviano  
incendio nuncium, postea in  
universæ Calabriae terræ motu congeminatum  
duplici libello, sub tui patrocinii um-  
bra, in lucem edidi. Illi tu in tenebricosa  
flamma splendorem, huic in soli concus-  
sione stabilitatem, posteris transmitten-  
dam seculis, peperisti. Conciones pane-  
gyricas cum tibi postmodum consecrassem,

ã ij

effecisti ut encomia ipsa non nihil haberent  
encomii. Ter expertus tuum mihi nomen aus-  
picatissimum, nunc denuò ejusdem publicam  
felicitatem usurpo. Neque verò metus à pro-  
posito me consilio revocat, ne dum toties me,  
meaque, tuum sub aspectum exhibeo, men-  
tem, oculosque fastidiam intentos imperio  
orbis terrarum. Capit animi tui amplitudo &  
negotiorum molem, & nobiliorem negotio  
quolibet otii litterarii Majestatem: Regenda  
tibi se offert à Sanctissimo Patruo demandata  
Christiani orbis immensitas: sed interim Mu-  
sæi illius tui, quo nullum in universo terrarum  
orbe vel concinnius est, vel augustius, in tanto  
rerum molimine, cura non spernitur. Illinc  
tumultus te bellici, armorum fragor, & tu-  
barum clangor exsuscitat. Hinc te Lycæi pa-  
læstra, disputationum conflictus, & adver-  
santium sibi sententiarum veluti togata bella  
ad amorem, studiumque sapientiæ revocant.  
Illinc te æmulationes procerum, Legatorum  
dissidia, & Principum postulata sollicitant.  
Hinc te Poëtarum carmina, Historicorum  
annales, Juristarum scita, Philosophorum acu-  
mina, Theologorum oracula à severioribus  
te curis ad amœniores, sacratioresque tradu-  
cunt. Dum ad negotia incumbis, nonnun-

quam exeris, quamquam invitus, aculeum:  
dum sapientiæ vacas, & semper, & libentis-  
simè mel rependis. Haec ego dulcedine præ-  
gustata, ad eandem regustandam allectus  
opus hoc, quod de signis Prædestinationis, ac  
numero Prædestinatorum inscripsi, tibi dico,  
sacroque. Tu humanitate illa tua, qua evehe-  
ris supra homines, exiguum munusculum ex-  
cipere non gravaberis. Quippe summi Nu-  
minis imitatus exemplar, in tanto dignitatum  
apice humillima quæque non despicias. Enim-  
verò modestia tibi purpurascit in vultu, dum  
nitet morum candor in purpura.

E M I N E N T I Æ T U Æ

Servus humillimus

IULIUS CÆSAR RECUPITUS.